



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 1. Quid, & quotuplex sit appellatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

citur. Sæpe nihilominus sumuntur ut synonyma. Secundo ad maiorem Iudicem, à minori & inferiori scilicet. Hoc ita necessarium est, ut si aliter fiat, nulla appellatio sit. Nam propterea à Pontifice ad Concilium non admittitur appellatio, & contrafacientes excommunicantur à Clem. viii. in *Constit. seu Bulla Cæna Domini*, ut Franc. Leo tradit in *Thesau. Eccl. c. 38. num. 34. Par. 3. Nav. c. 27. n. 58. Bonac. Disp. 1. q. 3. p. 2. Certè iniquum videtur, ut maior à minore corrigatur, æquum verò, si minorem maior corrigat. Vnde Glossa in c. 1. de *consuet. dist. 11.* nulla consuetudine dicitur obtineri posse, ut à maiori ad minorem appelleretur. Dicitur Tertio, ratione gravaminis illati, vel inferendi. Non enim ab illato solum, & præsentè, sed etiam eo quod prævidetur, aut timetur in futurum, appellare licet, ut ex dicendis infra patebit. Barb. in *Rubr. de appellat. n. 4. & in c. Consultat. eod. Marant. pag. 252. Layman l. 3. tr. 6. c. 6.**

II. Dividitur appellatio Primo in propriè & impropiè dictam. Hæc extraudicialis vocatur, illi in proprio sermone aliàs communis denominatio manet. Appellatio propriè dicta à sententia Definitivâ vel interlocutoriâ fit, ut corrigatur: extraudicialis verò (quæ rectius dixeris provocacionem) ab actibus, & decretis extraudicialibus, c. 1. c. *Concertationi hoc tit. in c. & l. 1. §. solent. ff. Quando appellandum sit.* Exempli causa cum appellatur ab electione, spoliacione, ac similibus, & vocari solet provocatio ad causam habetque vim conventionis. c. *Cum sit Romana. hoc tit.* ideoque fieri debet ad Iudicem ordi-

narium, nec unquam suspendit executionem, nec cassat attentata. c. *Cum inter de elect. v. Covar. qq. pract. c. 24. num. 5. VVurmser. l. 1. obs. 9.*

Secundo, dividitur Extraudicialis secundum terminum à quo. alia enim est à Iudice extraudicialiter procedente: alia non à Iudice, sed à parte extra iudicium. c. *Bona memoria hoc tit. Gaill. l. 1. obs. 120.* De extraudiciali appellacione contra partem facta notat Maranta. n. 268. hunc mirabilem effectum, quod in causa beneficiâ habeat vim citationis, ut teneatur comparere adversarius coram Iudice ad quem sine alia citatione: alias ut contra contumacem proceditur. Dantur autem duo termini, primus unius mensis ad iter arripiendum à die interpositæ appellacionis: deinde post adventum appellantis expectatur appellatus per viginti alios dies, infra quos si non comparuerit, contumax reputatur, & damnatur. c. 1. de *el. in c. & ibi Glo.* In aliis non beneficiâ libus causis non operatur hunc effectum sine citatione. Abb. in c. *Bona. de postul. Pralator. Layman. l. 3. Tract. 6. c. 6. nu. 3. Sanchez. l. 3. de Matrim. Disp. 10. q. 3. n. 24.*

Tertio Aliqui dividunt, in quatuor membra, Antejudicialam, Intra iudicialam, Iudicialam, & Postiudicialam. Antejudicialis est, quæ ante litem contestationem fit. c. *Significante. 34. & c. Rodolphus 35. de rescr.* Intra iudicialis, quæ post litem contestatam ante iudicium fit. c. 1. de *dilat.* Iudicialis à sententia definitiva concipitur & perficitur. *10. tit. de appell.* Denique postiudicialis, quæ adicitur executioni. l. *ab executione. ff. eod. c. Quoad consultacionem.*

*nem. de re iudicata. Tholos. l. 30. c. 2. n. 5.*

*Quarto. Masuerius ad materiam, & causam appellandi respiciens, iudicalem appellationem facit triplicem. Vnam quæ fit à falso iudicato. Alteram, quæ fit à gravamine. Tertiam, quæ fit à iuris denegatione. Ita Masuer. tit. de appell. n. 32. §. Item animadvertendum.*

*Quinta divisio secundum qualitatem, & communis omnibus aliis est. Reperiuntur enim in quolibet genere leves & frivolaræ, quibus opponuntur legitimæ per omnia iuri consentaneæ. l. si rem alienam. §. solutam. ff. de pignorat. act. Frivola appellatio censetur, quæ caret iustâ, & legitimâ causâ: ut si appellet, qui non est iniuste gravatus. Et sic idem est dicere frivolaræ, quod vanam & inanem, aut sine iusta causa interpositam, quæ nullum poterit sortiri iuris effectum. Geminian. in c. Cum appellationib. hoc tit. Hoc genus appellationum utpote nocentissimum legibus valdè exosum, & gravibus pœnis prohibitum est, quas Maranta prosequitur Parte 6. de ordine iudiciorum tit. de appellationibus. num. 335. & à nobis infra exponentur.*

*Aliqui distinguunt inter appellationes, frustratorias, frivolas, & inanes, seu leves. Frustratorias vocant quæ retardandæ solutionis, vel suspendendi iudicii causa fiunt l. Tutor ff. de usuris. Barb. in Rubr. de appell. Frivolas, quæ ex temeritate suscipiuntur experiundi tantùm causa. Inanes & leves, quæ pro minimis rebus, & nullo effectu dignis. l. si rem alienam. §. Solutam autem. ff. de pignorat. act.*

IV. Iudicialis & extrajudicialis appellatio differunt pluribus modis. Nam  
1. in iudiciali causa debet esse vera. c. ut debitus. hoc t. in extrajudiciali sufficit esse verosimilem. 2. oblatio probationis exceptionis obiectæ iustificat appellationem iudicalem, licet non probeatur veritas exceptionis, c. Interposita h. t. appellationem extrajudicalem verò non iustificat, quia non est ibi iudex, qui recipiat probationes tuas. 3. in appellatione iudiciali necessario traduntur apostoli: in extrajudiciali, non nisi per accidens necessarii sunt. Glo. in c. 1. de appell. in 6. Item qui dantur, non nisi testimoniales appellantur. 4. Extrajudicialis appellatio potest esse generalis, & incerta, quod in iudiciali non permittitur c. ut debitus, hoc tit. 5. Iterarè reatum secundum aliquos, ad superiorem habetur pro appellatione extrajudiciali: quod in iudiciali non contingit. 6. Appellatio extra iudicium interponit rationem causæ de futuro, quia timet gravari: Iudicialis verò habet causam de præterito. 7. appellatio iudicialis suspendit iurisdictionem Iudicis: extrajudicialis non suspendit factum de præterito, neque id quod est consecutivum ad ius explicitum de præterito. c. Constitutus h. t. 8. In iudiciali revocantur omnia attentata. c. Non solum. de appell. in 6. In extrajud. non revocantur, nisi ea, quæ gesta sunt contra appellationem. c. Cum nobis. de el. 9. In iudicio appellandum est intra decendum. c. quoad consult. de re iud. Extra iudicium etiam post decendum appellare licet. 10. Attentata post appellationem iudicalem revocantur  
indj.

indistinctè: attentata post appellationem extrajudicalem pendente ex futuro eventu. Ita sere Panorm. in c. Bo. memor. hoc tit.

Conveniunt autem in duobus. 1. utraque debet fieri in scripto. 2. quemadmodum innovata contra Appellationem iudiciale revocantur, ita etiam quæ innovantur seu attentantur contra extrajudicalem revocanda sunt. c. 1. de appell. in 6.

IV. Inter appellationem à sententia definitiva, & interlocutoriam sunt sex differentiae. 1. Appellatio à definitiva constringit iudicem, ut post illam nihil attentare possit: secus in appellatione ab interlocutoria fit. Feder. de clericis conf. 198. 2. per appellationem definitiva impeditur executio: per appellationem ab interlocutoria non impeditur, sed præsumitur pro processu, Lapsus alleg. 2. num. 7. 3. propter appellationem à definitiva potest sententia impugnari, & iustificari novis probationibus: interlocutoria autem ex solis deductis, & probatis iustificatur. Bald. consil. 146. 4. appellatio à definitiva potest absque scripto, sola voce fieri: appellatio ab interlocutoria, nisi scripto facta sit, non relevat. Clem. appellanti. de appell. 5. In appellatione ab interlocutoria inferenda est causa, secus in appellatione à definitiva. 6. In appellatione ab interlocutoria causa expressa iustificari debet ex iisdem actis: alias succumbet appellans: in appellatione à definitiva id minimè necessarium est. Geminianus Consil. 118. v. Socinum in Reg. 22. ubi

imitationes ponit. Card. Tuschus. in lit. A. Concl. 358.

## §. 2.

## Quis appellare possit.

I. **C**um sola appellandi causa sit gravamen, vel præfens, vel futurum, non permittitur appellatio illi, qui nullum gravamen patitur, vel iuste metuit, ne inferatur. l. 1. ff. de appell. recipiendis. l. Eos. C. eod.

Non appellabit igitur Primo condemnatus propter contumaciam l. 1. C. quor. app. non rec.

Secundo notorius reus, l. 2. c. eod. Barb. in c. Cum sit Romana, n. 19. vel in iure convictus.

Tertio Is, de cuius frivola appellandi levitate constat, c. cum appellationib. eod. in 6.

Quarto condemnatus propter heresim. Piafec. Par. 2. c. 4. n. 41. Simanca in Enchir. tit. 65.

Quinto Monachus & regularis c. 3. & c. Reprehensibilis h. t. nisi iniuste opprelsus fuerit, de quo Roderic. To. 1. q. 29. art. 2. Suar. iv. de religioni. l. 2. c. 11. Barb. inc. ad nostram h. t. ubi extendit ad clericos subditos.

Hicce omnibus præcisa est appellandilicentia, ne innocentiae remedium cuiquam proferat ad defensionem iniquitatis. Covar. Pr. Q. c. 23. Lancel. l. 3. tit. 17. Simanca in Enchir. iudicium. tit. de appellat. Sanchez l. 6. Mor. c. 4. Dub. 5. Zerola Par. 2. v. appellatio. n. 2.

II. Alias appellare permittitur non solum

v